

illam hortatoriam. Quam mirificas de ista effectiones speres, litterae probant ad Aemilianum Iordanum d. 16 Septemb. MDCCLII. datae.

Non quidem existimassem, hunc, quocum istud litterarum commercium instituisti, eum esse, qui olim apud nos officio lectoris Linguae Italicae functus est, nisi experientia docuisset. Nam Rothfischeri collega a Te nominatur, qui numquam locum inter professores nostros habuit, sed linguae cuiusdam hodiernae docendae privilegio tantum est usus. Dein ad monasterium Mariaemonasteriense in episcopatu Paterbornensi, et non ad Abbatiam Huisburgensem ille Iordanus pertinet. Professus in hoc monasterio Mariaemonasteriensi saepius tamen, iussu quidem, ut opinor, Abbatis sui, loca mutavit. Fuit aliquando in missione, aliquando etiam in cura parochiae occupatus, nonnumquam hospes in aliis monasteriis vixit. Fuit etiam in Abbatia Principali Corbeiensi, ubi, ut ipse ait, canones praelegit, vnde in hunc usque diem titulum *Professoris canonum emeriti in Corbeiensi Abbatia*, sibi arrogat. Tandem, quum Romanis Goettingae per indulgentiam Augustissimi Britannorum Monarchae licentia cultus publici concederetur, et huic cultui necessarius presbyter desideraretur, ab episcopo sacrorum vestrorum hic Iordanus, qui ad istam missionem, prout Vestri vocant, mitteretur, delectus est. Non sine adplausu suorum, quod ipse scio, Goettingae tum viuens, cultum ritu pontificio Goettingae auspiciatus est. Sed paulo post varia contigerunt, quae eo rem perduxerunt, ut Iordanus ad monasterium reuocaretur, aliusque ad missionem Goettingensem mitteretur. Ipse Iordanus autem huic mandato obediens non fuit, sed Goettingae, quamuis munere priuatus, remansit, institutioni studiosorum operam dans. Imo denique operam suam serenissimo Principi nostro et Hero indulgentissimo obtulit, munus lectoris linguae Italicae ambiens, cuius voti sui etiam particeps factus est. Romano-Catholicum autem, et Benedictinum monachum se semper professus est, quamdiu apud nos vixit, quamuis vagi quidam rumores aliud diuulgauerint. Certiora scient, qui hic sacra Romanensium tractant, Monachi Benedictini Monasterii S. Ludgeri prope Helmstadium. Summa mentis cum indignatione adspeximus nos temeritatem illam, qua hic homo TIBI, tanto Maecenati, imponere conatus est. Causa, quare a Goettingensi statione deiectus sit Iordanus, Te fere latere non potuit, quum Episcopus, cuius, iussu decedere a missione coactus est, optime Tibi possit exponere eius rei rationes. Ob has redire iussus ad monasterium potius litteratoris linguae Italicae officio fungi, quam redire ad monasterium